

**Aequilibrium mentis et corporis ... / disquisitioni publicae exhibebit A.T
Faber.**

Contributors

Faber, A. T.
Verdries, Johann Melchior, 1679-1735.
Justus Liebig-Universität Giessen.

Publication/Creation

Giessen : H. Müller, 1712.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cvp9mk88>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ÆQVILIBRIVM MENTIS & CORPORIS,

A. D. G.

PRÆSIDE

IO. MELCHIOR. VERDRIES,

Medic. D. Philos. Nat. P. P. Ord.

& Acad. Imperial. Leopold. Nat.

Cur. Collega,

Ad diem Aprilis clc lccc XII.

Disquisitioni publicæ
exhibebit

ANTONIVS THEODOR. FABER,

Ober-Kirch. Colonienf. Phil. & Med. C.

GIESSÆ,

Typis HENNINGI MÜLLERI.

V I R O

Per-Illustri atque Excellentissimo,

D O M I N O

F E R D I N A N D O,

S. R. I. LIBERO BARONI

de & in FVRSTENBERG,

Domino hæreditario in Schnellenberg,

Waldenburg, Horst, Herdringen, Waterlappe,

Husten, Bruchhaussen, Bocke

& Adolphsburg.

Dynastæ in Ober-Kirchen,

Advocato hæreditario in Graffschafft

& Evvig,

&c. &c.

In Ducatu Westphaliæ Nobili Consiliario

& Satrapæ hæreditario in Bilstein, Waldenburg

& Fredeburg.

Domino, Mæcenati & Patrono

suo

demissè colendo.

Auspicatisimos rerum successus,
Perennantem sanitatem,
Magnæ Familiæ
jugem æque ac lætissimum florem
& incrementa

perpetua,

votis,

quantum fieri potest,

calidissimis,

optat,

seque

juxta & hoc

Laboris & Exercitationis

Academicæ

exiguum monimentum

submissa, qua decet,

observantia

consecrat

Per-Illustris Suae Excellentiae

humillimus servus

ANTON. THEOD. FABER.



DE AEQVILIBRIO MENTIS ET CORPORIS DISSERTATIO.

§. I.



Quicquam est in Naturalis Philosophiæ ampli-
tudine, quod nulla vel exquisitissima cogi-
tandi ratione satis assequi, neque ideo tamen
negare possumus, id sane est, quomodo na-
tura illa omnibus corporeis soluta modis,

Modus
conjun-
ctionis cor-
poris & ani-
mæ huma-
no ingenio
impenetra-
bilis.

quæ quicquid agit cogitando agit,

Pars melior nostri, divinæ lucis imago,

Mens alto cognata polo & caelestibus auris,

cum extenso corporeo mira societate in unum coierit ac in
mutuum actionum & passionum commercium descenderit,
ita ut animus, ille æternitatis alumnus, angustis mortalis
corporis vinculis coercetur? Quod si enim ipsos nos excu-
tiamus omnesque abditos per viscera motus, sensus, ope-
rationes curatius perquiramus, sua cuiusque conscientia dicti-
tabit, hominis naturam conjunctione duorum diversæ natu-
ræ principiorum absolvi: alterius cogitantis, quod mentem
sive animam appellamus, corporei alterius partiumque extra
partes positione extensi, impenetrabilis & structura organica
ad varias motiones propendentis. Quicquid enim mo-
tum, quicquid operationum in nobis animadvertimus, id
omne vel ad cogitationes vel motiones corporeas referimus.
Quemadmodum id non minus inde clarissimum est: partes
illas tanto naturæ hiatus inter se differentes, ut nihil in unius
conceptu contineatur, quod alterius notio non excludat,
adeo tamen arcte in unam personam coagmentari, ut una

Omnes ne-
stræ opera-
tiones sunt
vel cogita-
tiones vel
motus cor-
pore

sine altera nec affici, nec sine alterius adjumento negotia a Deo præfinita perficere queat, atque hinc, ex sapientissimo T. O. Creatoris instituto, anima corpori consociata, hujus non solum ministerio utatur, sed & in hoc unionis statu motionibus sive cogitationibus suis, organa ipsius varie afficiat & ab eorum vicissim motibus varia ratione afficiatur.

§. II.

Non datur
aliquid na-
turæ mediæ
quod spiri-
tuale hic
cum corpo-
reo conjun-
gar.

Mutuum
tamen da-
tur utrius-
que com-
mercium.

Vita corpo-
ris sive mo-
tus vitales
corporei
vinculum
quasi sunt
inter ani-
mam &
corpus.

Pro corpo-
ris consti-
tutione

Hæc novimus atque miramur; nec est ut vinculum, hamulos aut gluten aliquod intermedium operosius disquiramus, quibus spiritus cum corpore, immortalis cum mortali connectatur aut conglutinetur? vel substantiam quandam intermediam semi quasi spirituales, Archeum aut simile quid, gratis confingamus, vel spiritus sic dictos animales, ratione reclamante, huic muneri præficiamus: cum fatius sit, id quod prudentissimi quique agnoscunt, in re difficili, in sapientissimi Creatoris beneplacito acquiescere atque mirandam illam unionem inde, unde immediate originem duxit, a benignissima Dei voluntate, deducere. Illud enim satis superque perspectum habemus: eandem, illo jubente, ea lege coisse, ut, occasione certarum in corpore motionum, certæ cogitationes in mente exoriantur, & versa vice, certas hujus cogitationes certi corporis motus consequantur: idque mutuum cogitationum motuumque corporeorum commercium vinculum quasi esse inter hæc partes motusque corporis potissimum mentem huic alligare rectissime observat *Cordemoy de distinct. Ment & Corpor.* cum durante illo proportionato, vitali, partium fluidarum per solidas motu, anima corpori cohabitaret, eo vero cessante & commercio quod menti cum corpore intercedit, corporis culpa conquiescente, illa vel invita expellatur.

§. III.

Vi igitur arctissimi illius commercii, corpus agit in animam, ita ut pro varia dispositione atque temperie succorum,
varii

varii motus in animo, experientia fidem faciente, exoriantur: unde homines pro ratione ætatis, vitæ generis, diætæ, varios quoque affectus induere & quoties a cibo potuque sanguinis & cerebri motus atque temperies mutatur, morum & cogitationum mutationem fieri, eundem hominem causæ ignarum, modo lætos in corpore motus sentire, modo contristari, ebrios vero & gulosos rationis usum amittere sibi quoque prorsus dissimiles esse, observamus: ut nihil de morbis, febricitantium & melancholicorum deliriis aliisque similibus commemoremus. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sapiens. IX. 15.* Agnovit idem *Plato* suo tempore & cum *L. II. tum præcipue V. de Legib.* amplissime docuit. Nec *Pythagoræis* id ignoratum fuit, qui ideo a carniū esu abstinabant, ne talium animantium mores una imbiberent, & cibos potius eligeabant, qui succos præberent temperatiores ad æstus & motus animi concitandos minus idoneos. Non sine ratione antiquissimus Medicinæ stator *Hippocrates, Lib. de flat. S. XX. 3.* *Ex iis, inquit, quæ in corpore insunt, nihil magis ad prudentiam confert quam sanguis, hic ergo cum consistenti habitu persistit, prudentia etiam constat: sanguine vero permutato concidit simul prudentia.* Nec non *Lib. I. de Diet. S. XXXII.* & sane hoc faciens, i. e. tali diætâ & medicamentis utens, sanior & sapientior anima fuerit. Et ibidem *S. XXXVI. 33.* *Potestque ex diætâ & melior & deterior anima fieri.* Id quod *Galenus* etiam *Lib. Quod animi mores sequantur temperamentum corporis*, fuse demonstravit. Neque hinc frustra operam sumsit *Celeb. Hoffmannus*, nunc *Arch. Reg. Boruss.*, quando fundamentum morum in gentibus in ipsa corporis temperie quæsit. *Diss. de Temper. fundamento mor. & morb. in Gentib.* Et sane, res manifestissima est, tam *ἐνέργειαν* mentis, i. e. facultatem objectorum in organa nifum & actionem percipiendi, res perceptas conferendi, con-

& temper.
animi mor,
& inclinac,
varii,

Pythagoræi
a carniū
esu abstine-
bant,

nectendi atque inde iudicium formandi, quam *ἀταξίαν* sive perturbatam hanc facultatem a sanguinis temperie dependere, atque ad exacuendam mentis & ingenii vim, exornandosque mores plurimum temperiem humorum conferre. Magni enim refert, inquit rursus *Hippocrates*, quali in corpore animi locati sint, multa enim in corpore existunt quæ acuum mentem, multa quæ obtundunt. Atque ita acu rem tetigit sagacissimus *des Cartes*, quando *Libr. de Method. S. VI.* scribit: *Animus adeo a temperamento & organorum corporis dispositione pendet, ut si ratio aliqua possit inveniri, quæ homines sapientiores & ingeniosiores reddat, credam illam in Medicina quæri deberi.* Ex eadem ratione præstantissimi ingenii vir, Excell. *Bergerus*, *Archiater Regius & Profess. Med. apud Wittenbergenses* celeberr. de *Commod. vit. sobr. p. 33.* *Vitam,* inquit, *quam laudamus medicinam morum merito nominaveris, quia ut corpus temperatum servat & immune a vitiis succorum, quæ sunt radices perturbationum animi: sic immunem animum a violentis motibus istis, aut minus eisdem obnoxium, hosque rationi obedientes reddit, nec quicquam in corpore gignit, vel relinquit, quod præstantiam vigoremque mentis labefactare queat.*

§. IV.

Animæ
commotiones
consti-
tutionem
corporis
alterant.

Animam vero, affectibus cum primis exagitata, vicissim in corpus effectus suos exerere ejusve constitutionem varia ratione alterare & modo in melius, modo in deterius mutare, non minus extra dubium est. Quis enim non novit, quot & quantæ, ex animi, gaudio & lætitia recreati, contenta tranquillitate utilitates in corpus redundant? *Jucunditas cordis*, inquit sacra pagina, *hæc est vita hominis & exultatio viri longævitæ. Ecclesiast. XXX.* Et quem quæso latet, quantum animi motus immoderati corporis nostri integritatem convellant labefactent atque vigorem ipsius evertant? verissime *Democritus Milesius*: *Si corpus*, inquit, *animum*
in

in jus vocaret, haud futurum, ut muneris male administrati crimen effugeret. Ut non sine causa experientissimi Medicorum, frequentiam morborum in hominibus præ brutis ex affectuum immoderatorum frequentia, (frequentia inquam, cum affectus etiam in bruta cadant, quos tamen, non ita frequenter experiuntur; quibus non æque ac homines indulgent,) deducant atque hinc solum sapientem i. e. qui passionibus animi dominari eademque non equidem, cum *Stoicis*, penitus extinguere, sed, cum *Epicuro*, debite moderari novit, esse longævum, pluresque ira, terrore, mœrore, curis aliisque affectibus, quam gladio, vitio aëris, erroribus diætæ &c. interire, asserere non vereantur.

Frequentia morborum in homin. præ brutis.

Solus sapiens est longævus.

§. V.

Exinde facile colligitur: sicuti hominis vita partium illarum essentialium unione mutuoque actionum & passionum commercio continetur, ita incolumem illam, tranquillam atque felicem a commercio illo æquabili &, mutuo in se agentium, proportionato nisu proficisci. Simulque hinc intelligitur: quemadmodum artis Medicæ hic non contemnendæ partes sunt, ita Philosophiæ quoque Moralis non omnino nullas esse; quæ animi, sicut illa corporis, motiones, moderari atque compescere docet ad mentis & corporis æquilibrium, hic adeo necessarium, conservandum. Adeoque, recte monente clariss. *Baglivio*, *Philos. & Medic. in Archi-Lyc. Romano* celeberr. *Canon. de Med. solidor. II.* qui staticen motionum animi per morales Philosophiæ canones ad staticen motuum corporis, quam in specie *Sanctorius Sanctorii in Medic. Statica* eleganter tradidit, dirigere, accommodare viresque moventes utrinque in æquilibrio debitaque ad se invicem proportionem conservare non noverit, nec sanitati, nec vitæ diuturnitati prospicere noverit. Hoc æquilibrium unde inæstimabilis ille vitæ thesaurus, mentis pariter ac corporis sanitas imo ipsa vita dependet, fusius aliquanto
atque

Mentis & corpor. æquilibr. Artis Med. & Philosoph. moral. præceptis conservandum.

Quid æquilibrium vocabulum hic denotet?

atque explanatius hic persequi operæ pretium nos facturos existimamus. Verum ut eo clarius id ipsum possit perspicui, animæ illa & corporis conjunctio paulo curatius erit inspicienda atque examinanda nec non quomodo, quibus mediis & instrumentis, anima corporis actiones moderetur ab iisdemque vicissim afficiatur & sæpe perturbetur? dilucidius exponendum, si paucissimis saltem monuerimus, id quod ex dictis amplius obscurum esse nequit: nos *æquilibrii* vocabulo hic non uti in sensu strictiori, ubi Mechanicis duorum corporum æquilibratorum quietem denotat, sed latiori, quo certam motuum proportionem significat, idque consensu & auctoritate Philosophorum & Medicorum ex recentioribus gravissimorum.

§. VI.

Corpus nostrum ex meris canalibus, ducta ex arteriis origine, reticuli in modum sibi intertextis, est constructum.

Illud igitur primo anatomica investigatione exploratum perspectumque habemus: omne corporis humani solidum ex canaliculis conicis & elasticis, quos arterias vocamus, ex iisdemque propagatorum ductuum, in retis formam sibi intextorum, filis coagmentari & quicquid in artificiosissima machina motuum & actionum observamus, in certa vasorum ad se invicem & fluentium in iis humorum habitudine consistere. Scilicet, exsurgunt e cordis musculo binæ arteriæ, quæ in similes figura & motu ramos & minutim divisos ramulos abeuntes, frequenti propagine, per omnes corporis partes partiumque particulas, musculos, viscera interque illa cor ipsum, membranas, &c. ita sparguntur & distribuuntur, ut maxima corporis pars inde contextatur. Sic corpus organicum sola contextione plurium diversi generis canalium, ducta ab arteriis origine miro artificio coaptatorum & versus cor partim reflexorum, interspersa hinc inde pulpa & pinguedine, absolvitur. Arteriæ enim in exilissimos ramulos divisæ, ubi partes ingrediuntur cum tunica musculosa elatorem deponunt, figuraque mutata, cum reflexos venarum sanguis

sanguinearum & serosarum, sive ut communiter audiunt, lymphaticarum, tubulos constituunt, tum in glomeres convolutæ glandulas & ex iisdem propagatos ductus secretorios & excretorios omniaque organa, variis hinc inde humorum præparationibus, depurationibus, secretionibus, quibus cum motu vita continetur, dicata, componunt. Inde cerebri duplex substantia, cinerea, uti vocant, glandulosa, ex complicationibus arteriolarum, & medullaris, canaliculosa, ex tenuerrimis inde prodeuntibus ductibus conflata, originem cepit: quæ posterior in plurimas deinde nervosas conjugationes, hæque in tenuissima diductæ fila vel pansæ in membranas, per partes, sensuum motionumque organa & universum corporis habitum, ad necessarios usus, sapientissimo optimi Creatoris instituto disperguntur. Inde renum & testiculorum cerebro in plurimis similium contextio. Inde pancreatis, glandularum salivalium omnesque oris, oculorum, totius canalis alimentorum, cutis aliarumque partium glandulosarum tubuli, (sola si exceperimus vasa biliaria, quæ non equidem immediate, mediate tamen intervenientibus venæ portæ propaginibus, ab arteriarum ramulis orta, cum his ipsis portæ & venæ cavæ surculis, ingens hepatis viscus componunt) enascuntur. Ut adeo omnes corporis humani partes vasculosæ sint & ab una origine corde scilicet provenientes, ad illud continuo filo reducantur, miroque ductuum contextu connexæ operationibus cum vitalibus & genitalibus, tum animalibus serviant. Confer. celeberr. *Ruysschii Epistol. & Thesaur. Anat.* nec non, qui pari hæc, cum solida & evidenti veritate, elegantia tradidit, *Excell. Bergeri Physiol. Med.*

§. VII.

Ut vero id, quicquid hic est muneris, rite exsequatur illa continua serie cohærens vasorum & filamentorum nervosorum contextio, succis quibusdam atque partibus fluidis

Fluida animant machinam.

diversi generis repleta & animata est, quorum mutuo reciproco & proportionato influxu omnes mirificæ corporis actiones, motu non interrupto, mechanica necessitate procedunt, & quidem vi illius cordis cum cerebro hujusque cum illo & utriusque cum toto corpore, istius ministerio texti vasorum & qui iis continentur pressioni humorum, consensus & communionis. Ut enim ab ovo, quod ajunt, primaque origine rem repetamus: id nobis primo concedi postulamus, quod vix quisquam sanioris Physiologiæ peritus in dubium vocaverit: embryonem omnibus suis partibus absolutum in ovulo delitescere nihilque in illo ad vitales actiones inchoandas desiderari quam motum. Cum vero nihil moveatur a se ipso, non sine ratione motorem hic perquirimus, qui fluidorum, in tenerrimis vasculorum staminibus contentorum, primordia excitet, pellat & vitalis illius circuli, quem connexa vasorum contextio monstrat, initium faciat. Atque hic nullus est alius, quam fluidum subtilissimum seminale sub cohabitatione maritali a Patre profectum & per *Fallopian* tubas, ex nostra quidem sententia, ad ovulum delatum; quod, tanquam mobile, motum cum succorum primordiis communicat atque ita prima moti in embryone liquidi punctique in ovulo salientis causa existit. Et hac ipsa motuum instauratione conceptio absolvitur. Quamprimum enim illo mediante fluido seminali mobilissimo fluida radicalia in ovulo delitescencia excitantur & turgescunt, exiguum corpusculum animatur, corculum contrahitur & postea pro elegantissima partium solidarum a diversi generis fluidis animatarum mechanica, vitales illi motus, qui fotu & succis matris, quamdiu ab ea foetus pendet, tandemque aëre & victu subveniente magis exsuscitantur, continens sui ipsius causa sunt. Posita nempe dicta modo partium & vasorum connexione & qui his vehuntur succorum, inprimis vero cerebri cum corde ac omnibus corporis membris, communionem, non potest

Motor
quis?

Conceptio
nihil aliud
quam motuum
instaurationem.

potest non reciproca cordis contractio & dilatatio semel inchoata & qui, inde dependet sanguinis in circulum motus in corpore sano continuare. Corde enim contracto & pulsante sanguis cavo ejus exprimitur & eliditur, vi, suo momento resistantiam totius sanguinis arteriarum & fasciarum earundem dilatationem impredientium, quæ, secundum demonstrationem *I. A. Borelli de Mot. Animal. P.V. Propos. LXIII.* major est vi 180000. librarum, superante. Arteriæ dilatatæ, quamprimum causa dilatationis cessat, resiliunt & sanguinem contentum, undique comprimentes, cum ob mechanicum valvularum cordis artificium regredi non possit per vasa minima intra musculos & viscera fasciis suis & vi machinæ non minus constricta, in venas & ex illis, adjuvante nervorum tonica constrictione, in auriculas patentes, vi, quæ, eodem demonstrante laudato *Borello* 135000. librarum pondus exsuperat, propellunt. Dum itaque cordis impulsus per arteriolarum infinitos fere ramulos, omnes totius corporis partes, in specie, per ramos carotides & cervicales, illam potissimum cerebri ex glomeribus arteriolarum contextam partem quam corticalem & glandulosam appellamus eandemq; cingentes membranas implet, non potest non fieri, quin arteriæ dilatatæ, pulsantes, partes vicinas, in specie molliores cerebri premant atque depositam ibi puriorem & mobiliorem lymphæ partem in exilissimas fibrillas, ex quibus medulla conflata est, indeque propagatos nervorum funiculos, exprimant & rivulis continuo succedentibus ad omnes partes, musculos inprimis, in quos nervi ultimo desinunt & inter illos ad validissimum cordis musculum leni placidoque motu propellant. Quo ipso accidit, ut, dum cor interea, resilientibus ob sanguinem, arteriarum systole, in arterias coronarias intrusum, ejus fibris, a systole ad diastolen rediit (quod eleganti demonstratione expeditum dedit *Christian. Stræm, Nov. Theor. mot. reciproc. Mach. animal. juxta ætern. motuum Leges, Propos. V.*)

Cordis, sanguinem elidentis, maxima vis.

Vis arteriarum resilientium.

Arteriæ in cerebro, cordis impulsu, a sanguine dilatatæ, cerebrum premunt & ita subtile fluidum ibi secretum in nervos & partes propellant.

Cujus influxu cor
denuo contrahitur.

& ex venis per auriculas contractas novum sanguinem recipit, illius influxu succi nervosi mox iterum contrahatur: hisque reciprocis cordis & auricularum arteriarumque synchronis, contractionibus jugi circuitu humores in orbem pelluntur omnesque ab illo vitali circulo, cui alterni cordis motus & præsumunt & debentur, pendentes actiones mirando non satis organorum apparatu & consensu perficiuntur.

§. VIII.

Textum nervosum
& arteriosum sibi
mutuo obluantur.

Cum itaque omnes totius corporis partes ex productionibus vasculorum & nervorum reticuli in modum contextæ sint atque influxu illo alterno continuo fluidi sanguinei & nervorum succi diversa ratione tendantur; non potest, non textum nervosum arterioso & hoc vicissim illi obluantur atque ita utriusque reciprocus oriri motus, quo, modo sanguinis impetu, modo nervorum a succo influente rite tensionum exsuperante elatere, æquilibrium alternis vicibus perit & restituitur. Ita, quod modo explicuimus, cordis continuus ac reciprocus motus alterno sanguinis in arterias coronarias & fluidi nervorum in fibras nervosas & musculosas ingressu absolvitur. Ita musculis musculosisque & nervosis per partes dispersis fibris, alterno, nervorum liquidi & sanguinis in vasculis interspersis eidem obnitentis, influxu, ad mediocritatis & naturæ leges constrictis & relaxatis, sanguinis lymphæque motus artificiosa compressione promoveretur: ut hac ratione succi nervorum influxus sanguinis impetuosè irruentis impressionem moderetur, quemadmodum hujus vicissim influentis expansio illius motum temperat & alterat. Mutua hac utriusque liquidi influentis ac moderata constrictione & expansione partibus sua constat tensio tonus atque vigor; illaque ipsa tensio & constrictio est, quam veteres facultatis retentricis & expultricis nomine innuere volebant.

§. IX.

Quemadmodum ergo exinde clarissimum est, influxum liquidi nervorum in partes & musculos a pulsu & leni compressione arteriarum cerebri dependere, ita, cum ex musculis, omnis motus in corpore organis & instrumentis, alii antagonists gaudeant, alii iisdem sint destituti; facile quoque patet ratio, cur hi, quorum e numero quoque core est, motibus automaticis serviant atque vel nesciente vel invita aut reluctante etiam anima actiones suas perficiant: illi vero mentis imperio subjecti, pro arbitrio moveantur. Posteriores enim non possunt non moveri, constrictis ab influente, mechanica necessitate, nervorum succo, & brevioribus red- ditis fibris, dum priores, influxu dicti liquidi utrinque æqua- bili, cum antagonists in æquilibrio constituuntur, ubi vi & motu superaddito opus est, quo aucta unius contractione & elaterio æquilibrio superetur. Hoc vero motus augmen- tum nutu suo superaddit anima, ea lege corpori confociata, ut motus nervorum fluidi, pulsu & pressione texti arteriosi in cerebro ad corporis partes jam derivati, pro arbitrio diri- gat, augeat variorumque motuum voluntariorum causa exi- stat, & ab illius, nervos, in organis sensuum, replentis & inten- dentis, variis motibus sive ab extra sive ab intra originem du- xerint, vicissim varia ratione afficiatur; id quod tum ipsæ ope- rationes edocent, tum ex eo quoque evidentissimum est, quod nihil anima in corpore movere nullaque operatione sine mobilissimi succi illius adminiculo perfungi potest.

Ratio mo-
tuum vita-
lium neces-
sarium
nullo præ-
eunte vo-
luntatis im-
perio pro-
cedentium.
Volunta-
riorum.

§. X.

In propinquo hinc est perspicere, solum sanguinis & succi nervorum reciprocum motum, in prima conceptione inchoatum & dicta ratione continuatum ad motus automa- ticos & necessarios sufficere, omnesque inde pendentibus actio- nes nihil esse aliud, quam alternam partium sibi obnitentium æquilibrii destructionem & restitutionem, dum systema arte-

Omnes
motus
automati-
ci alterna-
destructio-
ne & resti-
tutione
æquilibrii
absolvun-
tur.

Sunt mere
mechani-
cæ.

Actiones
mixtæ.

Anima
æquili-
brium tol-
lendo mo-
tum vo-
luntario-
rum causa
est, & occa-
sione mo-
tus fibrillis
cerebri im-
pressi, va-
rias passio-
nes sustinet.

riosum cum nervoso continua potentia moventis positione & privatione libratur, nullumque datur momentum, quo perennante vita motus in corpore alternis momentis non pereat & de novo exoriat, & ex consequenti esse illas mere mechanicas, in quas animæ per se nullum est imperium, cum, cæteris paribus, nulla cogitandi ratione vel accelerari, adjuvari vel coërceri cohiberi possint. Reliquas vero animales actiones, quas mixtas vocamus, non minus mechanica necessitate organisationis & habitudine instrumentorum corporeorum, anima tantum præsidente & dirigente produci, cum recte notante Inclyto *Bergero*, *Physiolog. Med. L. I. c. 1. p. 4.* ejus injussu vel etiam ingratis interdum fiant.

§. XI.

His ita constitutis, haud arduum erit perspicere, quousque animæ super corpus imperium se extendat & quomodo quibusque mediis anima corporis actiones moderetur ab iisdemque vicissim varias impressiones recipiat. Scilicet systemati nervoso lege a sapientissimo Creatore sancita, ita præest, ut fluidi in illo contenti motum non tam producat aut illius causa existat, quam potius ut eundem ab aliis causis jam procedentem, regat motuque suo ad hanc vel illam partem magis quam ad aliam dirigat & ita æquilibrium inter partes æque tensas tollendo motus voluntarios instituat. Itemque ut a motu huic liquido a causis vel internis vel externis impresso vel influxu ipsius a sanguinis in partes impetu aut retardato aut represso aut alterato, occasione commotarum hac ratione fibrillarum medullarium cerebri, varias passiones sustineat. Id quod brevissimis huc recidit:

- (α) Fibræ partium nervosæ a liquido nerveo, & vascula arteriosa hisce fibris interjecta a sanguine, alternis vicibus tensa continuo sibi obluçantur. Adeoque
- (β) Influxus nervorum succi temperat & moderatur sanguinis in partes irruptionem, &

(γ) hæc

(γ) hæc vicissim impedit & alterat motum fluidi nervei. vid. §. VIII. Quemadmodum igitur

(δ) anima undas nervorum ad partes dirigendo §. IX. actiones corporis excitare, modificare aut turbare potest, ita

(ε) sanguis motu solito vehementiori concitatus aut ultra modum expansus vascula distendendo, fibrillas nervosas premendo & continuis pulsationibus cerebrum ejusque fibrillas succutiendo, §. VII. contenti in illis fluidi motum alterare aptus natus est,

quo ipso non possunt non in ipsa anima occasione illarum motionum varii motus sive cogitationes exoriri. Itaque nervorum succus est, utrisque & animi & corporis promiscue motibus serviens, quo commercium illud continetur quique bona invicem & mala transfert.

Succus nervorum bona & mala invicem transfert,

§. XII.

Et ita tandem planum atque apertum est, quid per mentis & corporis æquilibrium intellectum velimus. Scilicet nihil aliud quam eam virium corporis & animæ, in se mutuo agentium, proportionem, qua cum libero partium fluidarum & solidarum motu, & actionum integritas & mentis animique vigor, conservatur. Enim vero vitæ integritas consistit in partium fluidarum legitime, ratione mixtionis, consistentiæ & quantitatis, se habentium per solidas congrue dispositas & constitutas proportionato motu. Adeoque quamdiu in corpore bene constituto liquores influentes vitales motu libero, placido, æquabili & temperato feruntur & mens præterea nullis affectuum cupiditatumque fluctibus in diversum agitur, quin potius specie jucundi gratisque perceptionibus perfusa, blando motu fluidum nerveum, quod

Quid æquilibrium corporis & animæ.

Vitæ seu actionum integritas.

quod nictu oculi citius imperium audit, excitat eoque per nervos diffuso, cor & alia corporis organa ad motus & actiones promptissima reddit: tamdiu optime se habet homo & sanitate satis ex voto perfruitur. Quamprimum vero sanguis alteratur & ratione mixtionis ac motus pervertitur & turbatur, vel ultra modum expanditur, non possunt non, vi supradictæ communionis, fluidi nervorum motus impediri aut turbari, nec non fibrillæ medullares cerebri & nervorum, insolita ratione, premi, pulsari, vibrari, atque ita vires animi atque vigor quodammodo debilitari, opprimi aut etiam, pro vehementia causarum, illius occasione extraordinariæ affectionis, extraordinarii & turbulenti in eo motus exoriri. Deinde, quando anima immoderatis affectuum motibus abripitur, fluidum simul nerveum, quod illa nutu suo solet dirigere, necessario inordinatis motibus cietur, partes ultra modum constringuntur sublataque naturali tensione fibrarumque flexilitate infirmantur & ad actiones inidoneæ fiunt, pori occluduntur, transpiratio insensibilis *Sanctoriana* supprimitur, in summa perit æquilibrium inter solida oscillantia & liquida fluentia, & ita sparguntur multorum & periculosorum morborum semina.

Affectus
motum
partium
fluidarum
& disposi-
tionem ac
structuram
solidarum
maxime
immutant.

§. XIII.

Hæc ergo, si probe consideraverimus, non mirabimur amplius tot & naturales & p. n. in homine effectus, qui destructo huic æquilibrium unice debentur. Cum enim pugnantibus maxime elementis constet, qua vivimus, machina, resque adeo diversæ arctissima unione consociatæ se mutuo in homine afficiant totaque ejus vita partium contranitentium motu absolvatur; nil sane mirum, si tot dissimiles atque inter se pugnantes motus & inclinationes ille sustineat motusque corporis animæ libertati officiant, voluntatem, dum videt meliora probatque intellectus, in deterrima trudent & ita anima imperii, cui destinata erat, frena amittat, domina ac in heri-

Dissimiles
atque pu-
gnantes in
corpore
motus &
inclinatio-
nes.

herilem conditionem missa serviat, quæque dare debebat jura cervice parata sæpe accipiat. Nil mirum, si ferventibus succis, cum calore & acrimonia in sanguine, crescat furor & temeritas in animo. Sensuum enim impressiones, motus, inclinationes, stimuli carnis illecebris & blandis lenociniis animam pelliciunt, serenitatem ipsius obnubilant, vires vinculis quasi impediunt eandemque invitam etiam & repugnantem inducunt: dum enim commotiones varias fibrillarum in cerebro excitant, protinus ipsis respondentes cogitationes & propensiones in mente oriuntur. Hæc est illa lucta inter carnem & spiritum. Ita lex membrorum, ratio & voluntas carnis & ex carne nata libido, spiritui i. e. menti divina veritate illuminatæ, secundum tenorem sacrarum literarum, semper & usque se opponit, neque hinc, verba sunt Excell. *Bergeri, de Nat. Hum. L. I. c. 1. p. 6. Opus esse intelligemus, ut præter motus impulsusque corporeos, principium aliquod aliud & brutam quandam animam admittamus. Fieri enim, inquit idem ille Vir Naturæ consultissimus de Commod. Vit. sobr. p. 32. omnino debet, ut, quo magis corpus a temperie humorum recedit, hoc magis animus, eodem ipso Naturæ intemperatæ impetu a temperie morum recedat, eoque facilius, oblata levissima specie & offensa, in motus & perturbationes præceps rapiatur, hisque translato in corpus impetu, cum ista corporis intemperies, tum ea aucta intemperies quoque animi augeatur ipsa & confirmetur.*

Sensuum impressiones pelliciunt animam.

Lucta inter carnem & spiritum.

§. XIV.

Neque hinc longe petenda ratio est, cur qui gulæ sequuntur ingenium & non solum cibos exquisitissimos sanguini volatiliori generando aptos, sed & reliquos tanta copia ingerunt, quam natura, ex mente *Sanctorii Med. Stat. S. III. Aphor. 9. nec facile coquere, nec digerere, nec perspirare potest, non solum sanitatem & vitam, sed & ipsius animi dotes & mores corrumpant? Nempe, quoniam illis sanguinis moles præter modum expanditur, his vero in succos copiosos*

Intemperantia & sanitatem & animi dotes corrumpit.

crudos & perspirationi minus idoneos degenerantibus vasa opplentur, infarciuntur & sanguis crudior in hac vel illa parte congeritur, cumque sic utrobique vasa solito magis dilatentur, non possunt non nervi, qui arterias ubique comitantur, vi quaquaversum nitentis in latera sanguinis, premi, quo ipso, cum vitale in illis liquidum, quod proximum animæ instrumentum est, pressioni fortiori resistere nequeat, æquilibrium inter utrumque & sic æqualis animi & corporis proportio cum dispendio vividi mentis vigoris tollitur. Et sic, quod est apud *Horat. L. II. Satyr. II. 77.*

corpus onustum

Hesternis vitis animum quoque pręgravat una,

Atque affigit humi divina particulam auræ.

Idem evenit, ubi ex suppressa perspiratione *Sanctoriana*, quantum in pluribus unica die naturali evacuatur, quantum per alvum quindecim dierum cursu, *Med. Stat. S. I. Aph. 60.* quæque, in aëre quidem Italo, cæteris paribus & assumptorum æquat, *Aphor. 6.* atque omnium sensibilibus excretionum aggregatum superat, cruditatibus & nimia sanguinis copia vasa sunt oppleta.

§. XV.

Inebriam-
ina tollunt
æquili-
brium,

Simili prorsus modo omnes humores sic dicti spirituosissimi inebriantes, & omnia quæ sanguinem expandendi atque concitandi vim habent, narcotica, opiata (quorum in corpus agendi modum post acutissimum *Pitcarium Diss. de Circul. sang. in animal. genit. & non genit. Celeb. Frid. Hoffmannum Diss. de vera opiatorum agendi ratione*, egregie non minus quam vere per rationes & experimenta demonstratum dedit, nec nimis sæpe, nec nimis valde laudatus *Bergerus de Vi Opii rarefaciente*) sanguinis nervorum succo contranitentis pressionem augendo, illius influentis motum liberum quodammodo præpediunt, unde non solum partes, in primis muscoli, quorum validæ tensioni corporis robur innititur, debilitan-
tur,

tur, sed etiam cerebro ejusque fibrillis gravatis, oppressis, articularumque insolitis pulsationibus vibratis, animæ vigor, qui naturali cerebri tensione & temperie continetur, perit, ortisque ita inconditis impressionibus, mens loco movetur, tandemque accedente, ob defectum influentis liquidi, organorum sensoriorum relaxatione, somnus obrepit, sed turbulentus atque insomniis plenus, cum confusis in cerebri fibris agitationibus, ab extraordinaria modo dicta pulsatione, confusæ in mente cogitationes respondeant.

§. XVI.

Id, quod alia ratione se habet in somno naturali placido, in quo sublatum aliquo modo mentis & corporis æquilibrium non minus auctæ sanguinis pressioni atque inde destructo fluidi arteriosi & nervosi renitentis æquali nixui debetur. Id, quod ex eo quodammodo clarum est, quoniam in somno, relaxata texti nervosi constrictione, totus corporis habitus ab arteriis hinc magis expansis atque distentis intumescit (quod vestigia a vinculis laxioribus post somnum in cute relicta evidentissime docent) atque apertis poris ac meatibus, tempore vigiliarum duplo magis contractis & coangustatis, perspiratio duplo quoque major sit, teste *Sanctorio, Stat. Med. S. IV. Aph. 2.* Verum, ut plenius hæc intelligantur, observamus: vigilias nos appellare illum humani corporis statum, quando fibræ medullares cerebri & nervorum a copia & motu succi nervorum variisque, hunc excitantibus, animi cogitationibus ita tenduntur, ut vividæ nervorum undæ sanguini in arteriis prementi, validiori nisu, resistere, proque mentis arbitrio ad partes dirigi & motus externis sensoriis ab objectis impressi ad commune internum, reflexa fluidi directione propagari possint atque ita, libero inter animam & corpus commercio, motionum ac sensuum actiones vigeant. Quando vero dissipatis nervorum undis, vel mente a seriis cogitationibus conquiescente, fibræ a vivida illa intentione

Somnus
naturalis
placidus.

Vigiliæ.

Causa
somni.

remittunt atque ita, sublato æquilibrio & sanguinis prævalente expansione, aliquo modo pressæ tantum non transmittunt, quantum ad motus & sensus rite obeundos requiritur, necessum est, hos feriari tantisper, αἰσθητικὸν πρῶτον ab operando suspendi, languente cerebro vim quoque & attentionem mentis hebetari, atque ita animi & corporis æquilibrium quodammodo tolli. Sed cum moderata sit hæc cerebri & nervorum pressio pulsuque cordis & sanguinis circuitu sedatiore omnia in corpore humano sueta ratione procedant, hinc anima a corporis commercio & contagione libera in se quasi recedit, nullisque, quæ inquietam illam reddere aut conturbare possent, insomniis exagitur.

§. XVII.

Cur statim
a prandio
somnus ob-
repat?

Hinc quoque facile ratio deducitur, cur statim a prandio animus quasi aliquo modo obnubilatus ad meditationes serias minus idoneus sit, & cur ad somnum tum temporis corpus propendeat? Distentis enim ab ingesta ciborum copia primis viis, ventriculo & intestinis, arteria magna descendens, alique ipsius ramuli quodammodo comprimuntur, quo ipso, impedito liquidi contenti motu sanguis ad caput compellitur, majorique copia cerebrum obruit & aggravat; ut de chylo, sanguinem expandente & in vas. minim. retardante, nil dicam. Unde sublato fluidi sanguinei & nervei in cerebro æquilibrium, præpeditur hujus ad partes liberior influxus, & non solum mens a suo vigore, sed & organa corporis a vivida tensione aliquo modo remittunt, quo ipso languidus duræ mortis frater obrepit.

§. XVIII.

In statu
p. n. febris
& c. in
primis de-
structu
æquili-
rium,.

Nullibi vero destructum illud mentis & corporis æquilibrium evidentius perspicitur, quam in statu præternaturali, ubi, in variis corporis humani affectibus, cum primis in febribus, sanguis, vel ad unam alteramve partem, a quarundam partium obstructione aut spasmodica contra-

ctione

ctione congeritur vel nimium rarefit & æstuat: inde enim Ob conge-
fibris medullæ cerebri vel in toto vel in parte compressis, ner- stionem vel
visque, ob denegatum fluidi nervorum influxum laxatis, rarefactio-
originem ducunt, non solum omnes sic dicti morbi soporosi, nem san-
guinis.
iisque maxime affines, apoplexia, paralytis, vertigo, mania,
quam rectissime *Hippocrates*, *Tr. de Man. Epist. addit.* a cere-
bro nimium calefacto & p. n. moto deducit, *cum eo tempore*
homo sapiat, *quo cerebrum quiescit*: sed etiam febricitan-
tium deliria; non potest enim non fieri, quin ubi transitu
nervorum undis præcluso, commune sensorium totaque ce-
rebri compages ab humorum æstuantium irruptione com-
primitur & concutitur, ipsum illud liquidum insignem tur-
bationem sustineat & confusæ fibrillarum modo p. n. disten-
tarum agitationes ineptis & inconditis ideis occasionem præ-
beant. Ita quoque deliria in Tarantatis & demorsis a cane
rabido commode deducuntur, quamvis aliæ circumstantiæ
hic accedant. Verissime laudatissimus *Bergerus*: *si fiat*, inquit,
ut vehementior humorum æstus ipsam cerebri fibrosam compagem
invadat, *eoque immutata ipsius naturali temperie, qua mens ratio-*
nem suam exercet, cum æstus interioris, tum exterioribus arteria-
rum imperitis impulsibus totum musicum cerebri opificium commit-
tatur, *de imperio suo statuque mens dejicietur & amens homo at-*
que insaniens reddetur. *Diss. de Vi Opii rarefacient. p. 20.*

§. XIX.

Idem illud Æquilibrium destruitur, ubi sanguinis len-
tescentis vitio, ob suppressam transpirationem *Sanctorianam*,
Med. Stat. S. VII. Aphor. 14. vel aliis de causis, ipsum quoque
nervorum fluidum lentorem contrahit & a vivido suo vigore
dejectum sanguini spissiori ad caput congesto & segnius pro-
moto, pro eo ac debebat, reniti non potest, vel quando, ob Ob fluidi
lymphæ hinc inde interceptum motum, defluxiones sic dictæ nervei len-
catarrhales cerebri aut nervorum fibras premunt & regula- torem.
rem in illis liquidi motum præpediunt, hinc iidem sæpe affe-

etus soporosi & accedente cogitatione fixa ac imaginatione rei timendæ vel dolendæ Melancholia & Mania. *Melancholicorum enim decubitus vel siderationem, vel convulsionem, vel maniam &c. pariunt. Hippoc. L. VI. Aph. 56.* quoniam eo ipso cerebrum, vel totum, vel ex parte p. n. modo comprimitur & genus nervosum afficitur, pluribus id demonstrante *Laurent. Bellini, de Morb. Capit. p. m. 519. seqq. confer. Barthol. de Moor, veris æconomia animalis seu humana Principiis innix. Patholog. cerebri delineatio.*

§. XX.

Qua ratione mentis & corporis æquilibrium in Epilepsia similibusque convulsivis morbis sublatum eidem sanguinis vasa distendentis nervorumque fluidi resistentis destructo æquilibrium debeatur, iis ignotum esse nequit, quibus *Belliniana Morborum Capitis Theoria*, nec non ea, quæ laudatus modo de *Moor* huc contulit, perspecta sunt, ut hisce fusius exponendis immorari haud necessum esse ducamus. Illud tamen adhuc observamus, quod exinde planissima evidentia consequitur: magna sane in Medicina interesse, ut non solum structuram corporis humani, sed & motuum proportionem probe exploratam habeamus. Deinde, quemadmodum ad sanitatem ita quoque ad præstantiam vigoremque mentis tuendam multum præsidii in eo positum esse, ut legitimo sex rerum, ad sanitatem tuendam morbosque inferendos indifferentium, ad vitam tamen protrahendam maxime necessariorum usum, iusta sanguinis temperies conservetur & motus uterque intestinus & progressivus intra Naturæ mediocritatem contineatur. Tertio nil magis, uti corporis, ita quoque mentis sanitatem labefactare & illam utriusque *irregulariter* turbare quam nimiam repletionem, aut sanguinis plus iusto ebullientis expansi & arteriarum latera extrudentis eoque fibrillas cerebri & nervorum prementis atque pulsantis visum. Unde apparet, quam sibi parum prospiciant, qui depo-

deposita humani sensus temperantia inebriaminibus & potibus spirituosus corpus replent, sanguinem inflammant, cerebrum opplent, rationis domicilium impugnant, & non solum insignem generi nervoso labem in tabem, hydropem & illam corporis carnificinam, querulam arthritidem ipsamque mortem tandem desinentem affricant, sed, quod potissimum est, perpetua vertigine judicii lumen extinguendo illius partis, qua homines sunt, usu, se ipsos privant. Hinc deterima ingeniorum pestis Medicis audit ebrietas; & hæc sine dubio gravissima ratio fuit, cur Carthaginenses legibus caverint, ne Princeps eo anno, quo imperaret, vinum biberet, & quamobrem *Plato, de legib. II.* pueris ad duodevigesimalium usque annum, & *Aristot. de somn. & vigil.* cum infantibus, tum nutricibus vino interdixerit; nec non, cur prudentissimi quique ex Medicis opii & opiatorum usum tenellæ ætati dissuadeant, scil. ne, aucto calore expansivo & pressione humorum cerebro cum genere nervoso molli & tenerrimo vis inferatur & ita non tantum Epilepsiæ, quæ ob illam cerebri mollitiem & nervorum debilitatem infantili ætati adeo familiaris esse solet, ut νόσημα παιδίων καὶ ἐξοχήν vocetur, subitæque sæpe mortis detur occasio, sed in primis, vis rationis, labefactato ejus domicilio tandem periclitetur. Et hinc quoque probe cavere prudentis erit, ne pharmacis intemperate adhibitis, & utriusque fluidi, & animi ac corporis æquilibrium pervertat; ut eo minus mirum, si sanitate misere excident, qui eandem sæpe nimium concupiscunt & in secunda valetudine, vel ejus latitudine, adversæ præsidii Naturam turbant, nullaq; cogente necessitate sanguinis motiones subsidiis pharmaceuticis vel incitant vel cohibent, ac ita nervorum & arteriarum, mentis & corporis nisum ac nutum proportionatum subducunt. Eo sensu optima medicina est, nulla medicina uti.

Carthaginiensium Princeps abstemius.

Pharmacis non facile turbanda natura.

Abstine & efficies quod medicina nequit.

§. XXI.

§. XXI.

Æquili-
brium a
parte men-
tis subla-
tum,

Fluidi ner-
vei existen-
tia probata.

Ex hisce jam satis planum esse putamus, quomodo a parte corporis illa operationum proportio immutetur? restat, ut exemplis quibusdam declaremus, qua ratione anima affectibus excitata æqualitatem sæpe reducat, vel a parte sui quoque insigniter pervertat. Hic vero ante omnia observamus, quod supra §. VIII. jam inculcavimus, (α) nullum animam in corpore motum, nullam functionem administrare, nisi ad miniculo fluidi nervorum, quod spiritum animale veteres appellabant, cujusque sub eo nomine existentiam & rationibus & experimentis omni exceptione majoribus extra controversiam collocarunt Viri perspicacissimi, *Schelhammerus*, *Disquisit. de spiritib. Animal. Bohnius*, *Progr.* quo experimentum, quod monente celeb. *Bellino*, in nervis phrenicis aliquoties instituerat cum orbe erudito Ao. 1687. communicavit, *Elias Camerarius*, *Dissert. de Spirit. Animal. Stat. Nat. & P. N. occasione experim. Bellino Bohniani*, aliique. Quod enim de fictitiis ipsius proprietatibus & motionibus ipsoque nomine rectissime monuerunt recentiores, illud ejusdem existentiae fraudi esse nec potest nec debet; tantum abest, ut cum nomine rem ipsam risu explodendam censeamus. Deinde, quod res ipsa loqui videtur, (β) animi motus mediocritatis leges supergressos nimisque concitados, vi arctissimæ unionis, liquidum nervorum, necessitate mechanica, quemadmodum supra expositum est, in partes jamdum influens, impetu superaddito irapellere & pro ratione circumstantiarum varios partium extra ordinem motus, convulsiones, spasmos, constrictiones excitare. Tum (γ) quod experientia manifestum est, esse in quibusdam hominibus liquidi nervosi ad animæ imperium ita obnoxium fluorem, ut imaginandi vi, ad certam partem, ad quam fixa cogitatio intenta est, determinari possit.

§. XXII.

Præterea id quoque, a prudentioribus optime demonstratum, admittimus: omnes sic dictos animi affectus sive motus, ad duas classes commodè referri, propensionem, cupiditatem, sive amorem & aversionem, sive odium. Nempe, voluptas & dolor & quæ eorum causæ sunt, bonum & malum, cardines sunt, in quibus affectus nostri vertuntur. vid. doctissimus *Lockius*, de *Intellect. human. L. II. cap. XX. 3.* Anima versatur circa objectum vel bonum, idque sive verum sive apparens, vel malum. Illud animam specie jucundi allicit, excitat & lætitia perfundit, quo ipso motus nervorum succi intenditur, ut promptius influat, propellatur, & ut Naturæ consulti loqui amant, intuitu objecti grati in elatere expandatur, nec tam ab interioribus ad exteriora (quod de sanguine tantum non vero spiritibus seu nervorum fluido verum est) quam potius ad omnia corporis organa, præ aliis tamen in cor, neglecto quasi aliquo modo, ob animi contenti & imminentium ab extra molestiarum cura vacantis securitatem, exteriori corporis habitu; qui hinc ob auctam sanguinis pressionem & mutatum quodammodo æquilibrium moderate laxatur. Et sic *lætitia diastolen & systolen reddit faciliores. Sanctor. Med. Stat. S. VII. Aph. 48.* sic nihil magis liberam reddit perspirationem, quam consolatio animi, *ib. Aph. 6.* consolatio quacunque de causa fiat, aperit meatus & largam facit perspirationem, *ib. Aph. 19.* aucto cordis impulsu & laxiori reddito exteriori habitu. Atque hinc etiam cor in specie exultare rectissime dicitur: hinc sanguis valido cordis impulsu ab interioribus ad exteriora pellitur totusque corporis habitus fit floridior & aucto sanguinis in orbem motu omnes illæ a mente, gaudio resecta, pendentes utilitates & effectus in corpore proveniunt. Inde etiam, corde repentino gaudio aut immodica lætitia celerrime moto & quasi oppresso, sive ultra modum con-

Bine affectuum classes.

In gaudio spiritus non ad exteriora, sed ad cor propelluntur.

In terrore
non repel-
luntur, sed
in exter.
hab vehe-
mentissime
insuunt,

stricto, oriuntur tragici illi effectus, quando exempla non una prostant eorum, qui effuso nimis gaudio fuerunt exanimati, quemadmodum de Chilone Lacedæmonio, Sophocle, binis mulieribus Romanis, apud *Plinium*, *L. VII. c. 47.* & *Livium*, *Histor. ab Urb cond. L. XXII.* Fouqueto, Gallo, apud *Pechlin. L. III. Obs. XXVII.* aliisque, apud mox citandum *Langium, de Mort. ex Affect.* constat. Hoc vero, scil. malum, animam terret, unde, dum id averfatur & fugit, consilii quasi inops fluidum nerveum nutu suo in partes subito, vehementer, quandoque etiam inordinate impellit, quasi, constricto exteriori habitu, corpus suum periculo ereptura & contra molestos insultus obfirmatura; quo ipso, sublato inter nervosam & arteriosam contextionem æquilibrio & constrictis cum partibus vasis sanguineis, sanguis ad interiora repellitur, venæ & arteriæ detumescunt; unde rigor, tremor, pallor, non aliter ac sub initium paroxysmi febrilis: dumque nervorum liquidum pari influxu & æquali vehementia in fibras cordis, irruit, non potest non cor validius constringi & ita sanguis fortiori impetu elidi, cumque sanguis a circumferentia repulsus sanguini a corde propulso occurrat & obnitatur, motus in se ipsum recurrit atque reflectitur, unde anxietas, palpitatio cordis, spirandi difficultas, pulsus frequens, plane ut in febribus intermittentibus, quarum etiam rationem formalem in simili sanguinis, a corde expulsi, & a partibus exterioribus simul repulsi, contrario & confuso motu consistere, deductis inde modo evidenti & intelligibili omnibus symptomatibus facile demonstrare possemus, si ratio instituti permitteret. Verissime dixit *Mæbius*, metum & terrorem cor nostrum omni virtute spoliare aut potius opprimere, horroremque ac rigorem, febrili similem, inducere. *Instit. L. II. P. II. cap. VII.* imo affirmare non dubitamus vehementem terrorem verum esse insultum febrilem, & hinc facile reddi potest ratio rei notissimæ, ad quam, ut eruditi Medici propius

Terror non
fecus ac
motus fe-
brilis cor-
pus concu-
sit,

animum

animum advertant, exoptat acutissimus *Schelhammerus*, de *Febrib. S. II. §. 32.* quando scil. ad conspectum rei, a qua animus noster refugit & abhorret vehementer, concusso subito terrore corpore, per labia & in superiori ad nares interstitio pustulæ vel sanissimis non multo post erumpunt, quod vano sæpe etiam ex metu, quando spectrorum & lemurum terrificorum lamentis imbecillum animi, etiam in insomniis, percelluntur, accidit. Eadem nempe hic ratio est, quæ in febribus: cum motu humorum contrario irritata natura insurgat & si quid forte inæquale minusque sanguini contemperatum in corpore invenitur, occasione laborantis animi motu critico, non secus ac in febribus, expellat. Pari ratione id quoque evidentissime hinc deducitur, cur terror & vehemens animi turbatio febribus malignis viam aperiat, atque contagio aditum paret? hoc enim sanguinem terrore exagitatum & febrili commotione jam concitatum, eo facilius turbare atque pervertere potest. Item, cur terror antecedens febrium sæpe & ideam & ingenium mutet, malignamque iisdem affricet labem? nec non, cur die præsertim critico accedens crisis turbet, exanthemata retropellat atque ægros internecioni tradat? quoniam, constrictis exterioribus, humores repelluntur, pori clauduntur, evacuationes sistuntur & motus humorum aliquanto liberior denuo pervertitur.

Cur a terrore pustulæ in labiis oriuntur?

Cur febres malignæ?

§. XXIII.

Ex dictis ergo satis perspicuum esse videtur, quod, licet in prima affectuum classe, sanguis aucto cordis motu ab interioribus ad exteriora, in posteriori vero ab exterioribus ad interiora spasmodica partium constrictione pellatur, idem tamen de nervorum fluido sive spiritibus non possit dici, cum nisi nos omnia fallunt, ipsæ, quæ circumstant, conditiones clarissime ostendant, in prioribus, ubi anima circa bonum versatur, fluidum nerveum, neglecto quasi exteriori habitu, cui tamen tantum accedit, quantum ad naturalem tensionem

sufficit, in cor inprimis impetum suum exerere; in posterioribus, ubi imminente quasi malo mens terretur, vehementius ab interioribus ad exteriora propelli, tantum abest, ut, quæ communis est sententia, spiritus in gaudio ad exteriora ferantur, in terrore vero sive metu revocentur, figantur aut ratione elateris comprimantur. Sane omnia, quæ in hominibus terrore perculsis apparent phænomena, rigor, tremor, pulsus frequens & funesti, qui eundem sæpe sequuntur effectus, spasmi, epilepsia, convulsiones, influxum spirituum vehementiorem inordinatum magis, quam retrocessionem non tam arguunt, quam apertissime demonstrant. Atque adeo utrobique ad impulsum animæ determinatum, eumque prout objecta sunt vel bona vel mala, & quidem vel magis vel minus talia, præterita, præsentia, futura, varium; modo blandum, placidum, modo impetuosum, modo successivum, modo subitaneum, modo æquabilem, modo confusum tumultuarium &c. res recidit. Hinc eo minus mirum videri debet, si animi *παραστροφæ*, quorum alias, sicut in concitatione animæ ad virtutem, stimulum & calcar addendo, ita quoque in negotio sanitatis varios naturæ motus excitando & moderando, non contemnendæ partes sunt, (corpus enim, inquit *Sanctorius*, marcesceret & otio periret sine animi motu, *S. VII. aph. 40.*) adeo contrarios in corpore nostro effectus producant & modo vi medica polleant, maximosque morborum insultus compescant, vincula expediant, vid. inprimis *Christ. Job. Langii Dissertat. de Animi commot. vi medica Oper. P. III. p. 27.* modo non solum magnorum morborum causæ sint, sed & hominem in extremum vitæ periculum conjiciant & subitanæ sæpe morti tradant, vid. Ejusdem *Dissert. de Mortuis ex Affectibus ibid. p. 34.* nec non *Frider. Hoffmann. Archiatr. Regii Boruss. Dissert. de Animo sanit. & morb. fabro.*

Affectuum
effectus ab
impulso
animæ de-
terminato
dependent.

Eorum vis
medica,

Vis inferens
di morbos
& ipsam
mortem,

§. XXIV.

Scilicet quamdiu ratio dominatur atque propensiones illas & motus freno moderatur, blandis illorum impulsibus liquidum torpidum forte & lentescens, excitatur, compellitur & pro re nata vel ad cor vel ad exteriorem habitum determinatur, quo ipso mutatum, vel ob constrictionem partium spasmodicam, vel ob arteriarum a sanguine nimis rarefacto immodicam distensionem & pressionem, æquilibrium restituitur; unde pristinam tensionem debitumque cum tono robur natæ partes, instaurato motu tonico vitali materiam inæqualem morbosam excutiunt & plurium sæpe infirmitatum causas dispellunt. Quando vero animus subito & ex improvise turbatur & extra justæ proportionis limites vagantur affectus, mobilissimum nervorum liquidum cum impetu & vehementia propellitur; unde quidem aliquando accidit, ut eo ipso validiori impulsu gravissimorum morborum vincula laxentur, quemadmodum de *Cræsi* filio natura muto apud *Herodotum* legimus, cui, conspecto occifore in Regem Parentem irruente, metus & ira linguam vinculis expedit, atque usum loquelæ impertivit. Prout etiam de febricitantibus quibusdam ex improvise in flumen præcipitatis constat, quod hac ratione solo terrore fuerint morbo exsoluti; aut de podagricis in periculo constitutis, qui metu impellente in pedes aliquando se conjecerunt atque ita periculum ac morbum superarunt; sicuti plura similia, interque ea multum faceta exempla congeffit, præter doctissimum *Pechlinum*, *Observ. L. III.* laudatus modo *Langius*, de *Anim. commot. vi med.* plerumque tamen, mutato æquilibrio turbatoque magis vel minus primo corporis mobili, omnes, qui eidem debentur, motus, totusque adeo homo turbatur, actiones infirmantur, pervertuntur, supprimuntur, extinguuntur. Idque, uti in omnibus affectibus justo vehementioribus accidere potest, ita in terrore in primis observatur. Quid mirum

Terrore
linguæ vin-
cula laxata.

enim, si, quando incusso vehementi & subitaneo terrore succus nervorum subtilissimus in reticulum nervosum per omnem corporis habitum expansum atque una in ipsius cordis fibras vehementissime impellitur, fortissima partium exteriorum constrictione validaque simul cordis contractione fluidum sanguineum simul & subito repellitur & expellitur, motus ille contrarius se ipsum extinguat? Quid mirum, si terror derepente incussus non solum infantibus, sed etiam adultis epilepsiam & convulsiones sæpissime inferat? Quid mirum, si constrictis repentino terrore partibus sanguinisque motu represso, hæmorrhagiæ, vel menses sistantur aut sanguinis e vena secta effluxus prohibeatur? si affusa nuchæ ex improvise aqua frigida, bombardæ explosio, clamor stentoreus similiaque terriculamenta contra hæmorrhagias optata remedia sint? si in verbis, ubi phantasia simul movetur, ad morbos depellendos tanta vis sæpe lateat? Quo pertinet illud apud Celeb. *Morhofium*, de *Scyph. Vitr. per cert. hum. voc. son. fract. p. m. 232.* ubi cum circumstantes frustra laborarent in sistendo ægroti sanguine & pene extrema instarent, Agyrta quidam accedens inopinato illos allocutus: *Quid miserum vexatis remediis vestris, illi jam moriendum est:* incusso hac voce ægro terrore sanguinis fluxum statim cohibuit eundemque mortis faucibus eripuit. Quid mirum, si constrictis in terrore a subitaneo & impetuoso liquidi nervei, influxu, una cum aliis, vesicæ urinariæ & intestini recti morricibus fibris, contenta, urina & feces præter voluntatem exprimantur? unde illud etiam deducitur, cur foemina illi, quam *Ad. Philos. Anglic.* ab *Oldenburgio* edita p. 550. sistunt, cum tonitru audiretur, ob terrorem sine dubio, semper laxata alvus crebræque fuerint vomitiones (quo forte bilis e vesicula simul spasmodica constrictione, expressa multum contribuit) quales nec a fortissimis effici medicamentis possunt. Item, cur in illis,

hæmorrhagia curata.

Ab audio tonitru laxata alvus.

de

de quibus Excell. *Pechlinus*, L. III. Obs. XVIII. non secus ac isti apud *Juvenal*, Satyr. XIV. v. 198. cui

- - - trepido solvebant cornua ventres

Cum lituis audita,

metus in alvum semper despumaverit? Cur Duci Ferrariæ apud *Brassavol*. Tr. de purgant. c. 9. cum jussu Michaelis Savanaroli nudis pedibus supra pavementum alabastrinum aqua frigida prius conspersum incederet, triduana alvi stypticitas, nondum quinquaginta passus promotio felici effectu fuerit soluta? Cur ubi, corpore calente, manus frigida immittimus Natura ad urinam pellat? territo enim frigore sensu, quemadmodum totius corporis, ita, pro ratione circumstantiarum, in specie intestinorum & vesicæ urinariæ fibræ constringuntur & ita contenta expelluntur. Hinc est, quod, si dormientis cujusdam manus in aquam frigidam immergatur, inscius stragula commingat. Quo pertinet illud etiam a laudatissimo *Pechlino* notatum, quando *Thomas Campanella* de Venusiæ Principe refert, quod cum alvo esset lenta & ob-

Alvus adstricta verberibus inflatis quotidie soluta.

Alapæ & colaphi miri effectus.

stinata, verberibus, a servo ad id conducto, inflatis, & sic metu arte conflato ad eam ducendam fuerit cogendus, parifere ratione ac illi veneris nepotes apud *J. H. Meibomium*, de flagror. usu in re venerea, crudelibus flagris ad damnosam voluptatem ducebantur. Quid mirum denique, si alapa aut colaphus, incusso terrore, accensa ira motaque phantasia vomitum, fatuitatem, epilepsiam, apoplexiam, abortum imo ipsam aliquando mortem induxerit, quemadmodum plura id generis exempla ex *Hildano*, *Deckero*, *Valleriola*, *Benivenio*, *Amat. Lusitano*, *Foresto*, *Horat. Augenio* & *Carpzovio* collegit Celeberrimus *Franckus a Franckenau*, de Alap. & Colaph.

§. XXV.

Possemus simili ratione aliorum animi pathematum effectus persequi, nisi brevitati studeremus atque ex dictis cuivis

Æstus cogitationum
dolorum
remedium.

Ἀντίθεσις
Stoicorum.

Alvus obstructa eruditis molestissima unde?

cuius de reliquis judicare integrum esset. Cæterum in illis sublatum mentis & corporis æquilibrium satis quoque evidens est, qui phantasiæ suæ potentes, æstu cogitationum, eandem, quo volunt, abripiunt & conversa in se ipsam corporisque vinculis subducta quasi anima asperiores etiam dolores frequenti atque intenta meditatione vincunt. Nulli non notum est, quid hac in parte jactaverint *Stoici ἀντίθεται* eousque professi, ut in eo virtutis summam collocarent, si, obfirmato animi impetu velut corpore erepti dolores vel non perciperent, vel perceptos occultarent & in acerrimo cruciatu illud *Arria, Cecina Pati uxoris, Pate non dolet*, suum facere, aut cum *Anaxarcho* in mortarium a Nicocreonte coniecto exclamare possent: *tunde, tunde, Anaxarchi vasculum tundis, Anaxarchum non tundis. Diog. Laërt. in Anaxarch.* De *Torquato Tasso* atque *Cardano* refert *Pechlinus l. c. Obs. XI.* illius tantam sæpe fuisse ecstasim, ut corporis fuerit oblitus: hunc vero hominem *ὑπερβολικὸν* a podagricis sæpe doloribus forti imaginatione contentoque animi opere se liberasse. Sane a ratione adeo alienum non videtur, animam a corpore quasi abductam aliisque operationibus impensius occupatam sensuum impressionibus percipiendis aliquando non vacare, quamvis, uti recte monet laudatus vir *χαλεπὸν*, non quivis temere indulgere sibi possit hanc libertatem, cum ipsa illa imaginandi vis aliquibus Naturæ prærogativa, paucis admodum cultu aut arte constare videatur. Interea non inepte eruditi Medici ab illa per nimiam animi occupationem inducta *ἀναστροφή* rationem deducunt, cur literati alvum plerumque obstructam habeant & ad malum hypochondriacum procliviores sint, imprimis cum ita reliquæ etiam actiones quodammodo infirmentur. Quid quod seria animi contentio & ad res insuetas applicatio singultum, vomitum, dolores, sæpe stiterit? unde perspicimus etiam, quantum animus curis detentus medicamentorum virtutes sæpe possit alterare aut enervare.

§. XXVI.

Quemadmodum vero hic, averſa quaſi a corpore anima, ~~inſubſtituta~~ deſtruitur, ita non minus id evenit, quando ad illud nimis eſt converſa & forti imaginatione nervorum fluidi Vires ima-
ginationi: dum ad certam partem determinando, varios eoſque mirandos ſape in corpore effectus producit. Miraculo proxima ſunt, quæ de viribus imaginationis tradunt Auctores, *Erastus, Licetus, Fienus, Ebelius*, aliique, quorum tamen, in quantum vera narrantur, non adeo difficilis explicatu ratio eſt, modo ad illud mentis in corporis motus, quod nutu exercet, imperium & ad promptiſſimum mobiliſſimi nervorum fluidi obſequium animum advertamus. Id enim ſubtiliſſimi fluidi genus influxu ſuo omnium in corpore actionum auctorem eſſe exploratum habemus. Animam quoque nunc ſuo ad partes illud dirigere poſſe, non minus nobis perſpectum eſt. Quidni igitur, ubi fortiori imaginandi vi impulſum motu validiori partes, de quibus anima ſollicita eſt, conſtringit, concutit, diſturbat, ejuſmodi effectus producere poſſet? Docet hoc atque egregie illuſtrat ſudor voluntarius *Oligeri Paulli*, doctiſſimi quondam *Simonis Paulli* filii, cujuſ tanta fuit, a primis annis derivata, voluntatis alacritas & virtus, ut pro arbitrio fluida ad manus dirigere & illas modo ſudore ſtillantes, modo ſiccas, ceſſante voluntatis imperio, proferre potuerit; huiuſque facilitatis experimentum & coram Auguſtiſſimo Danorum Rege Friderico III. in prima juventute & poſtea ultra triginta annos natus coram magno *Bartholino*, teſte perſpicaciſſimo, edidit. vid. *Act. Haſſniens. Vol. IV. Obſ. 82.* Neque hinc adeo arduum erit cauſam invenire, cur quis, viſo, odore percepto purgante vel vomitorio, aut ſi quis ad imaginariam nauseam proclivis rem foedam ſibi que inprimis adverſam conſpicit, aut de ea per aliorum figmentum audit, vel illius quondam viſæ recordatur; ſi v. gr. pilum in cibis invenit, vel inventum ab aliis

E

videt,

videt, aut commemorando saltem accipit, vomitum aut alvi fluxum patiatur. Item, cur, secundum sæpius laudatum *Pechlinum*, *L. III. Obs. XIII.* purgantium effectus nisi conscia voluntate propinentur, vel nulli sint, aut eo convertantur, quo fixa cogitatio vel utentis præsumptio illos inclinat, atque ea ratione in contrarium quoque medicaminum aliorum facultates ab imaginatione ad illum effectum determinantur quem quisque sibi animo, certo eo atque obstinato fingit? Cur a sola imaginatione orta sæpe purgatio? Cur & quomodo illa medicaminum vires determinet? Exempla prostant apud Auctores modo citatos, nec non *Bartholin. Cent. V. Hist. 54. Borrich. Act. Med. Hassn. Vol. V. Obs. 49. 50. Manget. Bibliothec. Med. Pract. T. II. p. 1067. in Miscell. Nat. Cur. Germ. Ann. 1676. 77. Obs. 146. & 238.*

§. XXVI.

Idiosyn-
cras. ratio.

Huc quoque pertinent tot idiosyncrasiarum sive specialium, natura insitarum, proprietatum exempla, ubi quidam certas res, vel plane aversantur, vel nimium appetunt. Harum enim potissima ratio in eo est, quod, ob singularem organorum dispositionem, vel connatam, vel consuetudine contractam, certæ impressiones animam afficiant & prout illæ menti, vel gratæ, vel adversæ sunt, ea vel commulceatur, vel indignabunda insurgat, variisque proin motibus, iisque vel blandis, placidis, vel impetuosius, quos similes fluidi nervei ad partem quandam determinati motus sequuntur, concitetur. Neque hinc spirituum retractio aut aversio, quod vulgo volunt, hic in causa est, quin animi potius molesta sensatio atque hinc oriunda indignatio. Illos enim non tam retrahi, quam validiori motu influere, effectus spasmodici, vomitus & similia accidentia testantur. Præterea, anima succum nervorum quidem impellere, sed non revocare, aliorum determinare & quodammodo abstrahere, sed non retrahere potis est.

§. XXVII.

§. XXVII.

Vividiori quoque imaginationi inque firmissimam ^{Amuletor.} ^{ratio.} spem erectæ phantasiæ debetur vis & efficacia periaptorum, amuletorum totque Abracatabra *Tralliani*, quæ uti magicam superstitionem sæpissime sapiunt & nil minus plerumque sunt, quam res, unde tantillum levaminis possit proficisci, ita insigni & exoptato effectu aliquando se commendant, sola animi fidentis intentione & fluidi nervosi fortiori ad partes impulsu; vividius enim ita nactæ robur facile morbi causam excutiant: atque adeo, secundum illud *Avicennæ*, fiducia, quam æger de medicamento concipit, & arti & consilio & omnibus Medicinæ instrumentis sæpe præferenda est. Phantasia metu & horrore perculsa morbos potest inferre, quidni eadem obfirmata & ad optimam spem exardescens morborum insultibus posset obniti eosque repellere? Quamvis præterea fallacia non causæ ut causæ sæpissime subsit, cum, quem interea temporis, dum spes ægrum fovet & patientiæ jugo, quod alias excutere videbatur, alligatum tenet, naturæ vigor atque bonitas vicit morbum, inepto & inutili periapto sublatum existimamus. Lepidissima est historia, quam Celeberr. *Ebelius*, splendidum Academia nostræ quondam decus, *Tr. de Virib. Imagination.* de Parocho, in Wetteraviæ quodam, prope Friedbergam, pago refert, cui, cum Prætor rusticanus, homo festivus, intempestive desideranti, ad dentium dolorem depellendum, schedulam per novendium (ineptias ineptiarum! intra novendium solius ope naturæ malum poterat percurari) collo appendendam & postea versa facie, non retro respiciendo in flumen abjiciendam felici effectu præscripsit, cui sequentia & quidem obscœna verba idiomate germanico erant inscripta: Teuffel reiß dem Pfaffen den Zahn aus und sch. ihm in die Rücke. Huic non nisi infelici eventu dissimile est, quod ex *Roberto Talbor*, Anglo, de *Caus. & Curat. intermitt.* allegat *Xænesæ* & *Schel.*

Schelhammerus, de Genuin. Febr. curand. Method. ubi acceptum a vetula periaptum paucis quidem diebus sanitatem ægro reddiderat, sed cum præter inhibitionem, postea sequentia verba eidem inscripta deprehenderet: *Ague fare vvell, till vve meet in hell*, h. e. Febris vale, donec in inferno nos revisamus, adeo fuit perterritus, ut cum vi & violentia recrudescentes malum non multo post moerore confectum ad plures raperet.

§. XXVIII.

Curation.
sympather.
potissima
ratio.

Nullum est dubium, quin ex iisdem principiis curæ sic dictæ sympatheticæ, si quid efficaciæ in illis est, eveniant, etsi plurimum etiam regimini, ad quod rerum imperiti non attendunt, debeatur. Quod si enim quis lectis circumvolutus sibi firmiter persuaderet, se assumpsisse medicamen, v. gr. sudoriferum, vel fieri aliquid, quod ab extra in corpus operetur & ad illum effectum duceret, sane si nil quicquam assumpsisset, vel nihil perageretur, sudore nihilominus diffunderet: exempla vidimus supra. Pari ratione id procedit, ac si quis lecto decumbens vigilans vel somnians metu vehementi percellitur & maximum ex mentis agitatione sudoris profluvium experitur. Adeo non difficile est vaferimis histrionibus apud imperitos famam aucupari eorundemque simplicitati imponere.

§. XXIX.

Phantasiæ
lusus in
gravidis.

In primis vero ex illo mentem inter & corpus sublato per imaginationem æquilibrio tot phantasiæ lusum in gravidis notarumque in foetum transmissarum, quæ tot acutissimorum Philosophorum ingenia sæpe fatigavit, perspicua satis reddi potest ratio. Nullum dubium est, quin pleraque, quæ hic miramur, per mechanicos catenatosque nervorum fluidi motus evidenter possint expediri, modo illud admittamus, quod supra notavimus & contra manifestum experientiæ testimonium negari nequit, animam ingenti desiderio, metu, terrore, timore, aversione concitatam, vehementi impulsu dictum

dictum modo fluidum ad certas partes, de quibus in illa commotione sollicita est, ut illas periculo quasi eriperet, posse determinare, easdem constringere, distorquere & varia ratione intercepto humorum motu disponere & alterare, in illis cumprimis, quorum fortior est imaginandi vis quique affectuum motibus præ aliis sunt obnoxii. Docent hoc exempla, supra §. XXVI. allegata. Docet præterea ancilla, apud *Malebranchium*, cujus, quum candelam admoveret, dum ægro venæ pedis inciderentur, simul ac scalpellum vidit infixum, tantus pavor invasit artus, ut per triduum aut quatrimum, in eodem pedis loco, quem viderat incidi, senserit dolorem adeo acerbum, ut decumbere coacta fuerit. *de Inquirenda Veritate Libr. II. Cap. VII. p. m. 94.* ubi non adeo ineptam rationem subjungit, quod spiritus in illas corporis partes vehementer se diffundant; quo pacto illæ intensiores factæ vehementiorem in mente excitent sensationem, ut sibi quasi ab incommodis, quæ aliis inferri videt, præcaveat. Huc pertinet historia *Theodor. Kerckring. Observ. Anat. III. p. 6.* de Quæstore Neoburgico, qui, cum frumentum e granario rustici efferri juberet, a vetula, blande quidem, percussus, sollicitæ imaginationis vi primo tuberculum, deinde tumorem saccum frumenti referentem in dorso acquisivit. Inprimis vero hoc illustrat mirabilis historia, quam ex *Sim. Scholzii Histor. Med. mirabil. L. II. Cap. I.* excerptam sistit *Manget Bibl. Med. Pract. l. c.* de Præconsulari Ministro, qui vidit per somnium hominem quendam, sibi obviam venientem & lapidem in manu dextra tenentem, propiusque tandem accedentem & lapidem in pectus suum vibrantem, ac regionem supra ventriculum percutientem: quo somnio expergefactus, percepit dolorem in pectoris media parte supra ventriculum, accensaque candela animadvertit in dicto loco maculam nigram orbicularem, magnitudine pugni, quam, quum nihil esset, nisi sanguis extravasatus cum aliquali partis conquassatione, Chirurgus

Phantasiæ
in infomnio effe.
aus mirabilis.

Hujus ratio.

gus mane accersitus scarificatione, discutientibus & solventibus lege artis dispulit. Nullum hic est dubium, quin anima, in subiecto disposito, insomnii terrore perculsa, liquidum nervosum ad partem, cui metuebat, eidem quasi suppetias latura magno impetu ablegarit, ac fibris ejusdem constrictis dolori, & sanguinis simul motu præpedito, extravasationi occasionem dederit. Pari ratione impetus liquidi nervorum horrore imaginario concitatus in gravidæ matris partes, ad quas fixa cogitatione intenta est anima, irruens, sed, ob firmiorem fibrarum dispositionem, repulsus ad delicatiores embryonis partes harmonicas dirigitur, ibique vim & efficaciam suam exercit.

§. XXX.

Non simplex adpectus rei monstrosæ, sed qui cum animi motu conjunctus est, in embryonem operatur.

Verum, ut pleniore demonstratione id ipsum dispalescat, notamus: non quamlibet impressionem in gravidis, aut simplicem adpectum objecti monstrosi, deformis horridi ac foedi, vel etiam animalium, ranæ, soricis, bufonis, aranæ, extra nocendi potentiam constitutorum, aut commune desiderium pyrorum, pomorum, prunorum, fragorum, uvarum & similium, sed potius Matris in res istas, cum ingenti horrore, formidine, animique motu, quasi corpori vel vitæ periculum inde immineret, contuitum, sive verum, sive occasione strepitus, soni, aut alius rei ex improvise oblatae fictum, translato, quem horror peperit, mediante fluido nervoso in embryonem motu, non solum organis ejusdem sensoriis singularem sentiendi dispositionem & natam inde idiosyncrasiam inducere (exemplo formidinis gladii in *Jacobum*, Angliæ Regem, a matre gravida, atque gladiis in *Rizium*, Musicum strictis perterrita, translata) sed etiam partes certo ordine, situ, nexu, figura disponere & quasi formare (quo pertinet monstrum illud *Cacodæmoni* picto, quam homini similis, apud *Kerckringium*, *Obs. Anat.* XXIII. Illud etiam *Olig. Iacobi*, *Act. Hassn.* Vol. III. *Obs.* 59. nec non historia, quam

quam de Colonitio recenset *Tob. Coberus, Obs. Vngar. VI.* qui ex matris gravidæ, catraphractum intuentis, imaginatione, pectus non ex costis, sed continuo solidoque osse habuit tanti roboris, ut ex durissimo ictu nihil doloris eo loco sentiret: aut etiam historia *Malebranchii, l. c. p. m. 96.*) easdem resolvere (vid. ejusdem *Malebranchii Observ. l. c. p. m. 95.* de Juvene in Nosocomio Parisiensi, dicto *les incurables*, a prima nativitate, quod mater gravida crurifragium Malefici cujusdam adspexerat, mente capto & omnibus membris, quibus frangi solent rei, fracto, quem ipsa Regis Mater Nosodochium invisens, sæpe vidit & loca brachiorum ipsius & crurum fracta contrectavit) vel abolere aut potius cum aliis confundere (exemplum recenset *Borrichius, in Act. Hassniens. Vol. II. Obs. 82.*) vel cuti varios nævos rerumque, circa quas commota phantasia est occupata, figuras, eo in loco, quo vel sensus rem horridam deprehendit, vel gravida in horrore manus configit, atque irritato sensu influxum undarum cerebri flectit & invitat, partes minimas directione motus in ordinatos firus atque nexus disponendo, inprimit, (exemplis plena est communis vita, plena Philosophorum & Medicorum scripta, *Miscell. Nat. Cur. Germ. Act. Hassn. Zod. Med. Gallicus*, totque aliorum observationum scriptorum vasta volumina.) Deinde id quoque diligenti Naturæ scrutatorum observatione constat: raro ante medium gestationis tempus notas illas in foetum transire, positis licet causis in actu causandi, sed plerumque a medio illo tempore ad ipsum partum, quamvis in illis, quibus membra plane disturbantur aut abolentur, paulo ante tempus illud mutatio plerumque accidat. *Borrichii* illa gravida, aspectu mutili exterrita, mutilum pariens, nondum quatuor gestationis, cum impressionem pateretur, habebat menses.

Raro ante medium gestationis tempus notæ in foetum trans-eunt.

§. XXXI.

Miranda sane hæc sunt omnia: quod si tamen mentis illud in corpus imperium, atque liquidi nervei ad partes illius impulsu determinati varium influxum, quibus partes tenduntur, stringuntur, torquentur, vasaque, partibus interjecta, comprimuntur, accurate expendamus, causas eorum, si non omnium plurimorum tamen invenire, adeo non erit impossibile, ut pleræque in promptu sint. Quomodo vis imaginationis in proprio quorundam corpore hac ratione efficaciam exeruerit & qua ratione determinato ad ipsarum matrum partes nervorum fluido, in illas, sine dubio, impetum faciat, sed duriori textura tonoque fortiori repulsa signaturas in illis exprimere nequeat, §. præced. XXIX. ostendimus; quo pacto vero ad easdem embryonis partes, teneras & molliores, eaque, quæ resistere posset, fibrarum rigiditate nondum prædita, dirigatur, id plenius hic est dandum, neque enim ita perspicuum est. Arcanam esse utriusque corporis, matris & foetus harmoniam & conjuratam affinitatem unamque animam sensitivam, utrumque iisdem prorsus sensationibus affici, ita, ut qui uni ex partibus sic mutuo devinctis & potiori accidunt sensus vehementiores, in alterum quoque redundent, easdemque fere cogitationes, quæ in mente matris occasione motuum corporis excitantur, in foetu quoque similem motuum occasione excitari recte existimant saniores ex recentioribus Philosophi; cum occasione sensationum & commotionum fibrillarum medullarium cerebri varii mentis motus omnium consensu exoriantur, nec unquam sensus corporei sine veris sensationibus realibusque mentis passionibus excitentur. *Malebranch. l. c. p. 99.* Sed unde illa motuum corporeorum & sensationum harmonia & in quo consistit? id enim potissimum in quæstione est. Hanc in æquali tensione & tono partium matris & foetus quærendam esse existimamus. Tensas esse humani corporis partes nervorum

vorum in specie reticula per illas expansa quem quæso latet? Nonne bona dispositio ipsarum, integritas æque ac functiones a congrua tensione dependent, ita ut, quum ea excidunt, non possint non pro diverso relaxationis gradu & sensus & motus aliæque actiones nutritio, secretiones &c. lædi? Quid quod corpus animale cytharam esse nervis suis, ut fidibus, constantem jam dudum pulchre & apposite prudentiores observarint. Æqualem vero utrinque in matris pariter ac foetus partibus esse tensionem, inde clarissimum est, quod τὰ ἐνογκεῖντλα sanguis & liquidum nerveum, a quibus est & oritur, utrique sunt communia & eadem fere, ejusdem qualitatis, consistentiæ, & quod convenienti etiam quantitate eodemque vel proportionato impetu utrobique influunt. Iam, cui non nota est illa inter corpora æque tensa sympathica harmonia, qua cum unum percutitur, movetur & alterum; quam inprimis occasione scyphi vitrei per certum humanæ vocis sonum fracti, exemplo chordarum æque tensarum, tympanorum, scyphorum vitreorum aqua infusa ad consonantiam redactorum aliorumque corporum solidiorum, unius percussione arcana harmonia conspirantium fuse non minus quam solide illustravit, explicuit, demonstravit δ πένυ *Morhofius* in allegato modo tractatu varia pariter ac vera eruditione refertissimo. In specie, singularem esse cuilibet fere corporis parti tensionem, peculiaris cujusque structura & actio innuit, idque exinde quoque perspicui potest, quod certis motibus corporum sonorum tremulis certæ corporis partes, quæ eorum tensioni respondent, moveantur atque subsultent: Ita *Claudius Perraultius*, Gallus, *Libr. de Sono P. I. c. 4.* & ex eo *Morhofius*, *l. c. p. 81.* observavit, sonos tympani, tubæ aut chordarum panduræ majoris ipsum nonnunquam pectus percutere, neque tamen omnes tonos, sed illos tantum, qui conformes sunt tono ac tensioni diaphragmatis: quemadmodum ob æqualem & consonantem tensionem in Equite

Matris & embryonis partes æqualiter tensæ.

Corpora æqualiter tensa sunt harmonica.

Quomodo
phantasia
matris in
embryo-
nem agat?

illo Vascone phormingis sonus vesicam statim ad urinam reddendam vellicabat. vid. *Scaliger. Exercitat. 134. l. 6. p. 230. conf. Misc. N. C. A. 1. obs. 134.* Ita *Boylli* servo ob æqualem aut proportionatam membranæ aurium tympani, cum membrana gingivas investiente, tensionem, quoties cultros cote acuebat, ingratus stridor gingivas cruentabat, apud *Barthol. C. IV. Ep. 152.* Ergo, cum, ut apposite inculcat *Morbofius*, omnis nostra sensatio quasi in motu harmonico consistat, quid mirum, si, quando ad impressiones vehementiores cum animi extraordinario motu fibrillæ sensiles in matris cerebro concutiuntur, similis in fibrillis cerebri embryonis, æque aut proportionate tensis, impressio oriatur, atque hinc nervorum fluidum ad certas partes, de quibus phantasia sollicita est, aut quo manus fricatione invitatur, tam in matre, quam in foetu determinetur, ruat, impetum faciat? Atque ita corpus matris & embryonis se fere habebunt, ut duo horologia pendula, quæ motus suos pariter iisdemque momentis exercent, quo simili alias, ad explicandum modum quo voluntas corpori imperat, ex hypothesi *Harmonia præstabilita* magni *Leibnitii*, *I. laquelotus*, de *Fid. & Rat. consens.* utitur, vid. *Act. Erud. Lips. A. MDCCV. Mens. Decembr. p. 553.* Et licet solidiori fibrarum & partium matris textura atque tensione repellatur, in embryonis tamen partibus eo magis efficaciam suam exerit, quo magis illæ sunt tenellæ & molliores quam ut vehementem impressionem non possint recipere; inprimis cum non cerebrum solum, sed & reliquæ matris & foetus partes, ob æqualem & proportionatum influentium motum, harmonice conspirent, atque ita impetus a partibus matris in easdem teneriores foetus partes, vi dictæ harmoniæ, transferatur, & impetum a cerebro embryonis venientem augeat.

§. XXXII.

Inde omnium supra recensitorum effectuum deriva-
tur ratio. Hinc etiam apparet, cur juvenis ille, in Nosodo-
chio Parisiensi, præter crurifragium, simul rationis deliquium
fuerit passus? cerebrum enim, tum temporis molle, delica-
tum illo vehementi motu & impressione a matre in id ipsum
derivata misere distorquebatur, ut postea ad functionem suam
rite exequendam ineptum esset. Hinc quoque sponte fluit
ratio, cur ante medium gestationis tempus, positis licet causis,
in actu etiam causandi, rarius id generis signaturas admittant
embryonum corpora, cum ob fibrarum mollitiem ac dif-
fluentem fere corporis habitum, & ad requisitam tensionem
& consequenter ad motus sensationum harmonicos inde re-
cipiendos minus idonea sint. Quando in quibusdam gravidis,
quæ ad animi commotiones, præ aliis proclives sunt, accidit,
ut paulo ante illud tempus, oblato deformi objecto exterrean-
tur & graviori sensu concutiantur, facile fieri solet, ut tensis
jam quodammodo fibris, mollissimis tamen adhuc & valde
tenellis, vehementi impulsu notæ profundiores inprimantur
vel pro re nata, tota ipsarum conformatio & nexus disturbe-
tur, ut partes ita periisse videantur. Interea ingenue fatemur,
esse in accuratissimis figurarum expressionibus & delineatio-
nibus plura adhuc humano ingenio impenetrabilia quæque
sine principii Naturæ incogniti subsidio ex omni parte expe-
diri nequeant. Quod enim de spiritibus ideis suis instructis
vulgo tradunt, facilius dicitur quam evidenti mentis com-
prehensione percipitur aut probatur. Mentem maternam
in animam embryonis occasione motus utriusque cerebri
harmonice tensi impressiones deferre, adeo non negamus, ut
ex modo dictis satis clarum esse arbitremur: Eandem vero
figurandi facultatem huic communicare, ex hypothesi, qua
anima ipsa sibi futurum domicilium corporisque habitandi
supellectilem formare supponunt, iis argumentis refellitur,

Cur ante
medium
gestat. tem-
pus, rarius
ejusmodi
signaturæ
imprimantur.

Plura hic
reperiuntur
humano in-
genio im-
perscruta-
bilia.

quibus dictam hypothefin faliffimam effe evicerunt *Peyerus*, *Merycolog. l. 1. c. 5.* *Sturmius*, *Phil. Ecclē. T. II. Diff. de Gener. Plant. & Animal.* *Geuderus*, *Ep. de Ort. Animal. Dia-trib. de Ferment. subjunct.* aliique fanioris Philofophiæ Antiftites quamplurimi. Et quis, quæfo, perfuadere fibi poterit, id animam perficere poffe, non dicam fine deliberatione, præmeditatione, fed fine omni confcientia? Cur non nifi in anxia commotione id, quicquid hic eft virium, exerit? Quis candem in illa perturbatione ad facultatem illam in actum rite deducendam, aptam crederet? Cur non potius, fi penes illam ftaret, deformitates quovis modo impediret, quam produceret? quamvis, quod ex noftra quoque fententia apparet, gravidæ ex fanæ rationis imperio, fibi ab intempeftivis animi commotionibus temperando & enormiores intemperatos fluidi nervorum motus præcavendo, compescendo, vel affectibus indulgendo eisdemque fovendo, plurimum ad impediendum aut promovendum ejusmodi effectum contribuere poffint. Quid denique in brutis efficiens horum effectuum caufa eft? Num & illorum anima facultate tali formatrice ftructoriam & difpofitoriam inftituta eft? Quis credat? Quis credere poffet? In brutis vero idem evenire, oves *Iacobi Patriarchæ* exemplo funt, ut alias hujus rei *Curioforum* obfervationes reticeam. Inprimis vero id nos docuerunt vaccarum tempore geftationis maftatarum foetus, quos a lanionibus sæpe acceptos, cum infpiceremus & diffecaremus, non fine admiratione, eundem capitis vitulini locum, quo vacca in capite ictum lethalem excepit, fanguine non fecus, ac fi ipfe vitulus immediate percuffus fuiffet, fuffufum, reliquis partibus optime conftitutis, & nil quicquam, quod læfum effer, oftendentibus, vidimus.

§. XXXIII.

Sed cum a deſtructo per imaginationem mentis & corporis æquilíbrio effectus hoſce in homine deduxerimus, non neſci

In brutis
ſimile quid
evenit.

Vaccarum
foetus
ictus, quem
mater excep-
pit, in capite
effectum
oſtendunt.

sine ratione quæritur, quomodo in brutis, mente destitutis,
 producantur? Respondemus, mente quidem bruta esse de-
 stituta, sed non anima, uti loqui amant, brutorum sive princi- Datur
etiam
æquili-
brium in
brutis inter
principium
vitale &
corp. organ.
 pio vitali sentiendi & movendi potentia instructo, inter quod
 & corpus organicum simili ratione datur æquilibrium. Est
 scilicet in illis, non secus ac in corpore humano, alternus flui-
 di nervorum & sanguinei in partes influxus, quo, cum motus
 automatici, in musculis antagonisticis carentibus, absolvun-
 tur, tum reliquæ partes æquilibrantur. Est & in illis princi-
 pium quod & impressiones objectorum mediantibus nervo-
 rum tensorum vibrationibus sentit, & nutu suo liquidum
 subtile ad hanc vel illam partem impellit atque vi superaddi-
 ta æquilibrium tollendo motuum variorum spontaneorum
 causa existit. Præterea imaginantur bruta, nec ab affectibus
 sunt immunia. Quidni igitur sublato a parte corporis inter
 nervorum & sanguineam fluidum æquali sive proportionato
 nisu vigor principii vitalis obnubilari & æquilibrium inter
 principium vitale brutorum & eorum corpus immutari pos-
 set? Apparet hoc in somno, temulentia ab ebriaminibus in-
 ducta (cujus rei experimenta ipsi sæpe cepimus) in rabie aliis-
 que a cerebri corruptione dependentibus ipsorum morbis.
 Et quidni a parte illius principii nimium exagitati, commoti,
 exterriti, compulso ad partes vehementi impetu nervorum
 fluido æqualis illa motuum proportio turbari posset? Docet
 hoc quorundam ob stabulum mutatum, ob insuetam solitu-
 dinem tristitia & inde contracta macies: docet excremen-
 torum præ metu excretio: docet interitus a subitaneo &
 vehementi terrore: docent denique præter alias plu-
 rimas observationes ipsi imaginationis effectus, qui vel
 soli luculentissimum argumentum præbent, non esse bruta Bruta non
sunt mera
automata.
 mera automata aut neurospasta, omni sensu & cognitione
 destituta, prout *Anton. le Grand, de Carent. sens. & cognit. in
brut. I. Darmanfon, tr. la Beste transformé en machine*, post

Illustr. *des Cartes*, (quem tamen alieniorem ab hac sententia fuisse contendit *Sturmius*, *Optic. S. I. Cap. V. §. IV.*) orbi persuadere sustinuerunt, a *P. Ignat. Gast. Pardies*, dans le *Discours de la connoissance des Bestes*, pro merito excepti & refutati.

§. XXXIV.

Utilitas
hujus do-
ctrinæ.

Liceret equidem pluribus exemplis rationem nostri æquilibrii illustrare, nisi ad paucas pagellas illud adstringendi institutum id dissuaderet. Ex his vero, quæ fufius jam disseruimus, satis superque patere arbitramur, quantum in eo positum sit, ut æquilibrium illud intemeratum servetur & quantum hæc ipsa doctrina in studio Medico utilitatem habeat, cum omnes sanitatem a morborum insultibus tuendi eandemque labefactatam restituendi præcepta & regulæ huc tanquam ad scopum tendant. Vita nostra mutuo mentis & corporis commercio ac proportionata utriusque actione, nec non partium solidarum a succo nervorum tensarum & fluidarum motibus constat. Horum rationem & causas, qui bene perspectas habuerit, quique eos intra debitæ proportionis leges continere, impeditos adjuvare, exsuscitare, minus congruos in ordinem redigere, immoderatos & extravagantes tempestive cohibere, temperare, & ubique pristinam æqualitatem restituere noverit, is demum valetudini hominis cum ratione mederi ac veri & excellentis Medici, quem ἰατρός θεός vocat *Hippocrates*, munus explere poterit. Præterea id quoque inde clarissimum est, proportionem illam non solum mutari per τὰ ἐσθιόμενα καὶ πινόμενα, sed etiam quando ἡ γνῶμη νοσέει verbis *Hippocraticis*, & in eo non solum studium sanitatis consistere, quando non satiamur cibis & integri sumus ad labores, neque ita solum motus & transpirationem promoveri, sed id potissimum hic requiri, ut affectus rationis freno moderemur & animi motus & agitationes nimias compescamus, cum nihil magis corporis motus pervertere, transpirationem, quæ omnes reliquas excretiones multum superat

rat & in qua tota sanitatis ratio est, una cum aliis actionibus secretoriis & præparatoriis coërcere atque suppressere possit, quam animi atque affectuum intempestivi motus, quibus fluido nervorum vehementi impetu agitato & hinc constri-ctis ubique fibris, totus non solum exterior habitus coangu-statur, sed reliquorum organorum textura ad actiones, a fibrarum justa tensione pendentes, inepta redditur. Vnde in methodo quoque sanationis nihil magis agendum, quam, ut præter organorum, si læsa sunt, integritatem illius inprimis æquilibrîi legitimam proportionem quovis modo resti-tuamus, idque prudenti regimine pro rei exigentia & prout causa mutari æquilibrîi vel in corpore ejusque partibus, flui-dis, solidis, vel in animo vel in utroque simul residet, modo sanguinis expansivum motum augendo, modo compescen-do, modo animi commotiones excitando, modo sopiendo. Vbi inprimis tenendum, quando assidua studiorum con-tentione æquilibrium destruitur, atque lumbis sedendo, ocu-lis videndo dolentibus, ac animo summa applicatione defa-tigato, sanitas non leve detrimentum ac noxam (de qua in-primis elegans doctissimi *Franci a Franckenavv Dissert.* quæ de *Noxa studiorum* inscribitur, legi meretur) capit, nihil aptius æquilibrium restituere, quam id, ad quod *Muretus*, *Paulo Sa-crato* suo suasor & impulsor fuit, quando *Epist. XVII.* ita ad eum scribebat: *Peto a te, ut quantum me amas, tantum operæ ac diligentia conferas ad valetudinem tuam & confirmandam & con-servandam. Hoc ita videris facillime consequi posse, si ad corpo-ris exercitationes aliquid addideris, de exercitationibus animi & ingenii aliquid detraxeris.* Sic etiam *Galenus*, *L. de sanit. tuend. Cap. XI.* testatur: *Nos agros quotannis non paucos, persanavi-mus solis animi motibus ad debitum motum revocatis.* Dolet celeb, *Baglivus*, *l. c. Canon. L.* remedia sæpe adhiberi indiscri-minatim nullo ante facto examine, an iracundus sit æger, an placidis moribus præditus? an aridus, siccus, an mollis & succi

succi plenus? an morbis animi laboret, nec ne? quinam sit clater in solidis? quænam acrimonia in liquidis? quod æquilibrium in utrisque? *Felicem ergo, sic verba ipsius habent, Medicum, qui reconditas morborum successiones noverit & Abecedarium Natura per analogiam loquentis optime didicerit.*

Qui hæc non habet, non credat se clavem habere curandorum morborum.

TANTVM!

COROLLARIUM.

Quamvis elegans atque ad illustrationem questionis controversæ, de Motu Mercurii in Tubo Toricellino, apprime faciens experimentum sit, quod ex mente Illustris Leibnitii nuperrime proposuit Clariss. Ramazzini, Prof. Med. in Lyc. Patavin. Primar. Epistol. nova Ephemerid. Barometricis iterato editis adjecta & Ephemerid. Illustr. Acad. N. C. Cent. I. & II. Append. inserta, nec non in Act. Erud. Lips. Ao. 1711. Ian. p. 10. recensita, quando scil. vasculum, aqua, cum innatante corpore cavo, plenum ex libra suspensum & cum pondere opposito in æquilibrio constitutum, quamprimum corpus innatans descendit, levius redditur, ut præponderante pondere opposito æquilibrium mutetur: id tamen exinde nullo modo sequi videtur, quod præter laudatissimi Leibnitii mentem inde deducere voluit Doctiss. Ramazzini: Corpus grave, quando per fluidum aliquod descendit, gravitatem suam inter descendendum non exercere, cum ipse descensus gravitatis actum non tam supponat, quam ad oculum ostendat. Neque enim causa mutati hic æquilibrii in corpore descendente, sed potius in fluido ambiente & dum corpus innatans descendit, ascendente, querenda est. Non corpus descendens, sed fluidum ascendens, aliquantisper gravitatem non exerit. Videlicet, quamdiu corpus illud cavum aquæ innatat, tamdiu gravitatem cum aqua conjunctim exercet: quando vero descendit, tantum aquæ loco suo pellit, quantum mole sua spatium occupat, idque quicquid est aquæ, tum quidem necessario ascendit & inter ascendendum vasculum subiectum pondere suo premere nequit, quamobrem ponderi totius aliquid decedit, donec ubi corpus innatans fundum attigit, unita denuo gravitate deorsum ferantur & pristinum æquilibrium restituant. Neque etiam, quam ex acutissimi Borelli propositione elicit,

*consequentia firmo stare talo videtur: Corpora, quæ per aërem descen-
dunt, gravitate tantisper destitui, vel eandem non exerere; licet enim
in allegato exemplo lana involucrum superius inferius, quamvis illud
tangat, inter descendendum non comprimat, quoniam nempe eidem cedit
atque propria jam gravitate descendens aequali fere motu præcurrit, pellat
tamen, premat, donec ubi cedere amplius nequit & obnititur, com-
primat. Aliud est pellere, premere, aliud comprimere.*

Ingenii dotes cum sedulitate repertas

Approbat hoc Specimen, docte **FABERE**, Tuum,

Conatus collaudo Tuos, **DEVS** ipse secundet

Istos, quo capias, præmia digna brevi.

*Hisce Nobilissimo Dn. Respondenti, de egregio eruditionis
specimine, ex animo gratulatur*

Georgius Theodorus Barthold / Dr.

P. P. Ordin. p. t. Acad. Rector.

Daß Deiner Sinnen Krafft in gleicher Wage steht
Und des Gemüthes Trieb nicht aus dem Circel geht /
Hat Dein vernünft'g Thun uns / Wehrter / längst gewiesen /
Daß / wer Dich noch gekant / den muntern Sinn gepriesen.

Heut zeigst Du öffentlich / wie nach des Schöpfers Rath
Des Menschen Seel und Leib sein gleich Gewichte hat /
Zugleich auch / wie Dein Fleiß kan vieles überwiegen
Und manchen schweren Satz aus wahren Grund besiegen.

Gott / aller Weißheit Grund / von dem viel Segen fließt /
Der alles in Gewicht / in Zahl und Maß beschließt /
Laß uns dereinst an Dir ein schönes Beyspiel sehen /
Wo Tugend / Ruhm und Glück in gleicher Wage stehen.

*So wolte dem Herrn Respondenti wohlmeinend
und von Herzen gratuliren*

der

P R Æ S E S.

Daß Gottes Hand und Sein allein recht weisser Rath
Den grossen Bau der Welt /
Und was desselben Kreiß umschlossen hält /

G

Nach

Nach Maß / Zahl und Gewicht /
 Hab mehr als künstlich zugericht
 Und als ein Werck und Uhr /
 Woran der Mensch die größte Weißheit schauet /
 Wo jedes Stück in seiner Spur
 Und Ordnung richtig bleibet /
 Worin Sein kräftig Wort und Segen alles treibet /
 Höchst schön erbauet :
 Auch wie der Mensch / die kleine Welt /
 Worinn die rege Kraft
 Den unterschiednen Lebens-Safft
 Durch die so wohl gefügte Glieder /
 Ohn Aufhöörn hin und wieder /
 Zum Nutzen der Gesundheit leitet /
 Sen von Ihm eben so bereitet ;
 Diß hat viel theurer Lehrer Kiel und Mund
 Mit wahrem Grund
 Und aus der Sache selbst erwiesen.
 Diß ist der rechte Weg /
 Der klaren Weißheit Steg /
 Der jetzt von allen Klugen wird gepriesen.
 Drum / da Du / Wehrtester / auf eben dieser Bahn
 Gank froh hinan
 Zum Schloß der wahren Wissenschaften steigest /
 Und jeko schon die Blüht und Frucht /
 Wann Dein Gemüthe nur was wahr und was vernünfftig sucht /
 Von Deinem Fleisse zeigest /
 So ruff ich / als ein Freund / Dir zu :
 Gott segne Deine Müh und fördre Deine Ruh !
 Du kanst in vollem Trieb durchs Haus der Tugend gehen /
 Man wird Dich bald im Ehren-Tempel sehen !

Also wolte dem Herrn Respondenti seine Ergebenheit bezeugen
 und zu denen durch dieses Specimen an den Tag gelegten
 Gemüths Gaben so herkllich als schuldig glückwünschen

Ludwig Jeremias ANTONI,
 von Gießen / Phil. & Med. C.